16550

OSNABRVGENSIS

EPISCOPATVS.

Termini. Metropolis.

MOnaſterienſi Diœceſi Occidentem & Orientem verſus adjacet Epiſcopatus Oſnabrugenſis, Mindenſi vero ad Ortum, in veteri Bructerorum regione, quæ nunc ad Weſtphaliam pertinet. Et habet Bructerorum nominis terminationem urbs, ut & aliæ in eo tractu complures. Civitas inſignis eſt, à Comitibus de *Engern* exſtructa, auctore Hermanno. Alii à Iulio Cæſare hanc urbem inceptam eſſe perhibent, ut Annales Saxonum. Ferunt hanc à pellibus bovinis dictam, quibus urbs hæc fuerat circumdata, quaſi dicas *Oſſenburgum*. Sita eſt in valle amœniſſima, irrigaturque Haſa flumine. Tempore Caroli Magni inſedit loca iſta Widekindus Saxonum regulus, quo devicto Eccleſiam illic in honorem B. Petri, & Sanctorum Criſpini & Criſpiniani excitavit Carolus: deditque ei Epiſcopum Wiſonem cum ingentibus latifundiis, & ſchola Græca ac Latina: ſicut ex inſtrumento donationis liquet, quod nos ad verbum deſcripſimus:

Diploma Caroli Magni.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. CAROLVS Imp. Auguſtus Romanum gubernans Imperium, dominus & Rex Francorum & Longobardorum, necnon dominator Saxonum. Notum ſit omnibus ſanctæ Eccleſiæ fidelibus, noſtriſque præſentibus & futuris, quod nos ob noſtræ mercedis augmentum, Wiſoni Epiſcopo Oſnaburgenſi, ſuæ Eccleſiæ, quam nos primam in omni Saxonia in honorem S. Petri principis Apoſtolorum, & Sanctorum Martyrum Criſpini & Criſpiniani conſtruximus, quoddam nemus vel foreſtum intra hæc loca, *Farnewinckel*, *Ruſtenheym*, *Angaria*, *Oſningſnethe*, *Dersſchoſſet*, *Egeſterfelt*, innumera collaudatione illius regionis potentum, cum omni integritate in porcis ſilveſtribus, cervis, avibus & piſcibus, omnique venatione, quæ ſub banno uſuali ad foreſtum deputatur, ad ſimilitudinem foreſti noſtri Aquiſgrani in ſilveta Oſningi, in perpetuum pietatis uſum donavimus, ea videlicet ratione, quod ſi quiſpiam hoc idem nemus noſtro banno mutatum ſine prædictæ ſedis Epiſcopi licentia ſtudio venandi vel aliud agendi unquam introierit, ſciat, ſe tam divinæ quam regiæ ultionis vindictam incurſurum, necnon pro delicto ſexaginta ſolidos noſtri ponderis, quos nobis pro banno violato ſtatuimus debere, redditurum. Inſuper vero eidem Epiſcopo ejuſque ſucceſſoribus perpetuam concedimus licentiam, libertatem, & ab omni regali imperio abſolutionem; niſi forte contingat, ut Imperator Romanorum & Rex Græcorum, conjugalia federa inter filios eorum contrahi diſponant. Tunc Eccleſiæ illius Epiſcopus cum ſumptu à Rege vel Imperatore adhibito laborem ſimul & honorem illius legationis adſumet. Et ea de cauſa ſtatuimus, quod in eodem loco græcas & latinas ſcholas in perpetuum manere ordinavimus: nec unquam clericos utriuſq; linguæ gnaros deeſſe confidimus &c. Aquiſgrani in Palatio.

Oppidula minora. Fluvius. Lacus.

Sunt & hic oppidula minora: *Forſtenowe*, *Vorde*, *Witlage*, *Melle*, *Iburg*, & ad lacum Dummerium *Hunteborgh*. Mediam regionem uti & metropolim interſecat *Haſa* fluvius, cujus fons ad Meridiem non longe à *Brinck* pago oritur. Montibus, vallibus amœniſſima ſunt loca, paſcuis & ericetis ampliſſima, falconum prope lacum jam dictum aucupio jucundiſſima. Paludes quoque & ſtagna habet. In confinibus vides ad Occidentem Comitatum *Tecklenborgh*, ad Meridiem Comitatum *Ravensberg*.

3/…/I

23

Nordrhein-Westfälisches Staatsarchiv Münster
Kartensammlung
A 16550